Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2201
Quelle:
Copyright:

Fol. LVII. p. 2. Epiſtola ad Fratres Ordinis ſui plena proficuis ad vitam aſceticam monitis incipit: *Filioli mei, quos ſæpe parturio* &c. Finit: *Scripta Caſſiæ VIII. die Decembris per fratrem Simonem eiusdem terræ de ordine ſancti Auguſtini.*

Fol. LX. Ad Sodalem ſui Ordinis ejusdem pii argumenti cum querelis de remiſſione diſciplinae inter quosdam Suorum. Initium: *Abſens corpore, ſpiritu ſemper præſens* &c. Sub finem: *In uigilia ſancti Andreæ. Scripta Caſſiæ.*

Fol. LXIII. p. 2. Ejusdem argumenti ad Sodales, maxime de adcurata Votorum obſervatione. Incipit: *Inter meas uarias occupationes* &c. Finit: *pro quo fundite preces Chriſto. Scripta dominica prima Aduentus.*

Fol. LXVII. Scribit ſe vitae taedio adfici et ad quietem adſpirare. *Sed Ordo, qui neſcio qualem in me famam et commoda quæque decaptat, meæ ſalutiferæ quieti non aſſentit.* Videtur itaque Epiſtola Roma data. Altera ejus parte thesin hanc: *Viſitatio ſepulchri ac totius ultramarinæ partis uoluntaria, ſeu uoto peracta, obligationi, obedientiæ, paupertati et continentiæ non præfertur*: multis evincit. Inter alia: *Antequam eccleſia exemptionis priuilegia conceſſiſſet, monachi ſub epiſcopis in manibus abbatis regulam promittebant. Et licet ſummus pontifex ueſtrum poſſet mutare habitum et uiuendi modum, non tamen poſſet mutare uotum, niſi uos uelletis arctiori uoto conſtringi. Vnde ſi ſummus pontifex a uoto canonice facto et ſub canonica regula non abſoluit, et a uoto ultramarino plerumque abſoluit, patet: quia uotum regulæ et trinitatis* (votorum) *uirtuoſe huiusmodi uouentem abſoluit.* Initium Epiſtolae: *Veſtræ charitatis et humilitatis* &c. Finis: *Scripta feſtinanter die Lunæ infra octauam Epiphaniæ poſt matutinum qui nuntius feſtinabat. Veſter fr. Simon de Caſſia.*

Fol. LXIX. p. 2. Epiſtola de proximi dilectione, implendis mandatis Dei et votis religioſis, normaque agendi cum Matre, fratribus et ſororibus. Initium: *Chariſſimo ſibi in Jeſu Chriſto fratri B.* (fortaſſe Bartholomaeo, ad quem ſupra) *uilis et modicus fr. Simon de Caſſia ſalutem in omnium ſalutari.* Ad calcem: *Scripta Peruſij die XXV. menſis Maij.*

Fol. LXXII. *Ancillis Chriſti. A. et N. fr. Simon ſalutem, et Chriſti ueſtigia deſiderijs ardentibus ſequi. Altitudo uiarum Dei* &c. Vitam Chriſti in exemplum proponit. Finis: *et pro tenenda uirtute ad omnem mortem.*

Fol. LXXIII. Epiſtola ultima *Euangelicis et religioſis uiris fratribus P. priori et B. de ſancta Maria de Podio ſancti ſepulchri* incipit: *Verecundia quidem tali ſuffundor* &c. Veniam petit Simon, quod iis inſalutatis abſceſſerit, et modeſtiſſimo de ſe ſenſu eorum apud Deum implorat ſuffragia. Finis: *orationibus ſociorum veſtrorum. Scripta*